AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Göttweig (?), 12. Jh.

Seite 31r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Sed si non haberent animam, non utique amarentur. Amare
et amari dulce mihi erat magis, si et amantis corpore
fruerer. Venam ergo amicitiae coinquinabam sordibus concu
piscentiae, candoremque eius obnubilabam tartarea libidine.
Et tamen fedus atque inhonestus elegans et urbanus esse
gestiebam abundanti uanitate. Rui etiam in amorem quo
cupiebam capi. Deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suaui
tatem illam et quam bonus aspersisti. quia et amatus sum,
et perueni occulte ad uinculum fruendi, et colligabar
letus erumnosis nexibus, ut cederer uirgis ferreis ar
dentibus zeli et suspitionum et timorum et irarum atque
rixarum. Rapiebant me spectacula theatrica plena
imaginibus miseriarum mearum et fomitibus ignis mei.
Quid est quod ibi homo uult dolere cum spectat luctuosa
et tragica que tamen pati ipse nollet? Et tamen pati
uult ex eis dolorem spectator, et dolor ipse est uolup
tas eius. Quid est enim nisi mirabilis insania? Nam eo magis
eis mouetur quisque quo minus a talibus affectibus sanus est.
quamquam cum ipse patitur miseria, cum aliis compatitur
misericordia dici solet. Sed qualis tandem misericordia in rebus fictis et sce
nicis? Non enim ad subueniendum prouocatur auditor,
sed tantum ad dolendum inuitatur, et auctori earum
imaginum amplius fauet cum amplius dolet. Et si calami
tates ille hominum uel antique uel false sic agantur
ut qui spectat non doleat, abscedit inde fastidiens
et reprehendens. si autem doleat, manet intentus et gau
dens. Lacrime ergo amantur et dolores. Certe omnis homo
gaudere uult. An cum miserum esse nemini libeat, libet
tamen esse misericordem? Quod quia non sine dolore est, hac una cau